

Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine, Domine observ<sup>me</sup>, etc.

Rediit nuper in dioecesim meam ex collegio Germanico, absoluto in Urbe triennali philosophico studio, venerabilis et nobilis Ernestus Masius canonicus ecclesiae meae Olomucensis; qui, cum ad capiendum sui canonicatus possessionem testimonio triennalis studii in publica authentica forma sub attestazione testium et notarii subscriptione opus haberet, produxit quasdam testimoniales patris Antonii Marchesii rectoris collegii Romani, in quibus testes et notarii sunt penitus praetermissi. Cum autem ecclesiae meae et aliarum in hisce partibus statuta praedictam testium et notarii solennitatem in eiusmodi testimoniis exigant, et dictus Masius, ob defectum praedictorum testium, à possessione canonicatus sui tan diu retardetur, donec triennalis studii testimonium tale, quale hinc moris est, produxerit; proinde Ill<sup>mam</sup> ac Rev<sup>mam</sup> Dominationem vestram humiliter oratam cupio, dignetur, autoritate sua interposita, efficere ut et praefato Masio aliud testimonium in forma praesentibus adiuncta confectum tanto citius mittatur; et deinceps aliis quoque Germanici collegii alumni, in hasce partes revertentibus, similis formulae litterae, ubi eas petierint, non negentur. Faciet in eo Dominatio Vestra Ill<sup>ma</sup> et Rev<sup>ma</sup> rem promovendis eorum vitae rationibus opportunam, ac debita ab iisdem erga D<sup>nem</sup> vestram Ill<sup>mam</sup> et R<sup>am</sup> observantia devote recolendam. Cui de reliquo sacras manus exosculor omnemque à Domino foelicitatem precatus me meaque humillime commendo.

Nicolspurgii 17 iunii anno 1611.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D<sup>nis</sup> Vestrae

Humillimus servus

F. Card<sup>is</sup> a Dietrichstain.